



Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de erroribus Pelagianorum, de Gratia, de
Iustificatione & Merito, de Virtutibus Theologicis, & quatuor Cardinalibus,
ac de ineffabili mysterio Incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

§. II. Secunda nota veræ Ecclesia, sanctitas,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77342](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77342)

Unitas spei constat ex eodem Apostolo ibidem A dicente: *Unum corpus & unus Spiritus, sicut vocati estis una spe vocationis vestre.* Qua de causa, inquit Augustinus in Psal. 140. cum hac vox sit omnium Martyrum, *Dispersa sunt ossa nostra, in plurali clamant, Ad te Domine, Domine, oculi mei, quia in te speravi.* Unitas charitatis insinuat Aduum 4. *Credentium erat cor unum, & anima una in Domino*, quia (inquit Glossa) *copula charitatis in unum iungebantur*; sicut olim in celebri Cyzici delubro, lapides omnes filo aureo colligabantur, ut refert Plinius lib. 36. cap. 15. Huius unitatis egregiam affert Bannez rationem: Quod tribuit alicui bonitatem (inquit) illud eidem secundum Platonicos tribuit unitatem; bonitas quippe rem ipsam in qua est conservat & perficit: At nihil in esse conservatur, nisi per hoc quod est unum: nam divisa & segregata cito pereunt & dissolvuntur: Igitur cum charitas Ecclesie bonitatem & perfectionem tribuat, eidem etiam unitatem confert. Quantum ad unitatem sacramentorum, Apostolus eam insinuat ad Ephes. 4. sub nomine Baptismi, qui est reliquorum Sacramentorum janua, dum ait: *Unus Dominus, una fides, unum baptisma.* De unitate vero sacrificij ait 1. ad Corinth. 10. *Unus panis & unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane & de uno calice participamus.* Item de unitate legis & caeremoniarum dicit ad Ephes. 4. *Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum, & medium parietem macerie solvens, inimicitias in semetipso, legem mandatorum decretis evacuans, ut duos condas in semetipsum in unum novum hominem.* Quibus verbis significat, populum Judaicum & Gentilem (qui diversi erant propter maceriam legum & preceptorum, quae utrosque inter se dividebat) fuisse conjunctos per Christum, qui hanc maceriam destruxit, & omnes sub lege Evangelica adunavit.

32. Quarto Ecclesia est una, ratione unius ejusdemque capitis visibilis, nempe Pontificis Romae sedentis, qui per totam Ecclesiam supremus omnium fidelium Pastor agnoscitur: per ordinem quippe ad eum, omnes fideles toto orbe diffusi uniuntur, & ab omnibus haereticis & schismaticis discernuntur. Hanc autem unitatem insinuat Christus Joan. 10. *Alias oves habeo quae non sunt ex hoc ovili, & illas oportet me adducere, & fiet unum ovile, & unus pastor*: & Cyprianus, cum dixit *Ecclesiam esse gregem, & plebem, suo pastori adunatam*, quod de Ecclesia in nova lege debet intelligi: nam Ecclesia ante adventum Christi talem unitatem non habuit; tum quia Gentibus quae fideles erant, & Judaeis, non praeerat unus Pontifex: tum etiam quia Gentes ipsae, ut recte docet Bannez, nullum sibi caput visibile, à quo in mysteriis fidei edocerentur, agnoscebant; sed vel per lumen quoddam interius, vel à parentibus, vel ab aliis sibi aequalibus instruebantur.

33. Quinto Ecclesia dicitur una, unitate corporis mystici: quia sicut ex diversis & eterogeneis partibus unum corpus naturale resultat, ita ex omnibus fidelibus, fide, & sacramentorum, ac Divinorum & Ecclesiasticorum preceptorum vinculo inter se conjunctis, unum corpus mysticum efficitur: & huius mysticae unionis beneficio, fideles omnes in bonis spiritualibus inter se communicant, unus pro altero satisfacit, suis orationibus juvat, & in summa, omnia bona sua opera illi aliquo pacto applicat, juxta illud Propheta: *Particeps ego sum omnium timentium te*; & istud Apostoli: *Adimpleo quae desunt passioni Christi in cor-*

pore meo, pro corpore ejus, quod est Ecclesia, id est pro omnibus fidelibus, quibus universos labores à me in Evangelij praedicatione toleratos communico. Unde praeclare Bannez verba hae Cantic. 4. *Greges tui sicut greges tonsarum, quae ascendunt de lavacro, omnes gemellis fetibus, & sterilis non est inter eas*, de Ecclesia, seu de omnibus fidelibus explicat: siquidem oves sunt fideles, qui de lavacro baptismi ad gratiam ascenderunt: sunt autem hae oves fertiles, & fecundae, quia quisque fidelium, partem suorum meritorum, suarumque satisfactionum, in communem aliorum utilitatem effundit: quare Glossa interlinearis ait, quod nec illi inter steriles deputantur, qui abluti statim ex hac vita rapiuntur; habuerunt enim sobolem fidei, quam vel ipsi pro se, vel alij pro ipsis confessi sunt; habuerunt etiam votum bonae operationis, quod inter oves Christi, si expectati fuissent, socialiter exercuissent. Ubi nota particulam hanc *Socialiter*, quia scilicet illi, si diutius vixissent, in communem Ecclesiae utilitatem sua opera meritoria transfudissent. Unde Tertullianus Apologet. 39. *Itaque quia animo animaque miscemur, nihil de rei communicatione dubitamus: omnia indisereta sunt apud nos, praeter uxores, in hoc solo consortium sumimus.*

§. II.

Secunda nota vera Ecclesiae, Sanctitas.

Christi Ecclesiam sanctam esse docet Scriptura variis locis: nam Cantic. 4. de Sponsa Christi, quae est Ecclesia, sic dicitur: *Qua est ista quae progreditur, quasi aurora conjurgens, pulchra ut luna, electa ut Sol?* Ad Ephes. 5. *Viri diligite uxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret.* Ad Titum 2. *Dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.* Ad Roman. 1. *Omnibus qui Roma sunt vocatis sanctis*, hoc est ad sanctitatem colendam, quam in baptismo professi sunt. Denique 1. Petri 2. *Christiani appellantur Genus electum, regale Sacerdotium, gens sancta.*

Hae verò sanctitatis Ecclesiae consistit primò in puritate fidei, seu immunitate ab omni errore in doctrina quam proficitur; & ea de causa Apostolus ad Roman. 1. fideles appellat sanctos, secundum expositionem Chrysostomi in hac verba, *vocatis sanctis*. Similiter Augustinus in Psal. 85. ait quemlibet fidelem dicere posse: *Quoniam sanctus sum*; quod certè de sanctitate fidei tantum potest intelligi, cum constet quamplurimos fidelium carere sanctitate morum. Secundò consistit in sanctitate vitae, quae praediti sunt qui se illius doctrinae conformant: Ecclesia namque à licentia peccandi avertit, & ad probitatem motum, vitaeque sanctitatem impellit, ad illamque multum re ipsa promoveret. Tertiò Ecclesia est sancta, quia tota est divino cultui consecrata, ejusque sacramenta, instituta, ritus, & caeremoniae, sanctitatem undequaque redolent; & quia amor charitatis est veluti lex Salica Christianismi, de qua dicitur Psal. 18. *Lex Domini immaculata*: id est lex charitatis dicitur lex Domini, non solum quia illam inscribit cordibus nostris, sed etiam, quia ex illa vivit & agit, ut elegantissimè prosequitur D. Bernardus Epistolà ad Carthusianos.

thufianos. Denique Ecclesia est sancta, quia sanguine agni tincta & respersa: sanctum enim, juxta Isidorum lib. 10. Etymol. dicitur quasi *sanguine tinctum*; unde ubi 1. Petri 2. Populus Christianus vocatur *Gens sancta, populus acquisitionis*, Glossa dicit, *populus Christi sanguine respersus & redemptus*.

§. III.

Tertia nota vera Ecclesia, quod sit Catholica.

36. **V**eram Christi Ecclesiam esse Catholicam, ita certum est, ut non solum à suis, verum etiam ab omnibus inimicis & impugnatoribus ejus Catholica nominetur, inquit Augustinus lib. de vera relig. cap. 7. Unde idem S. Doctor lib. contra Epist. fundamenti cap. 4. Tene me in Ecclesia ipsum Catholica nomen, quod non sine causa inter tam multas hereses sic ista Ecclesia obtinuit, ut cum omnes Hæretici se Catholicos dici velint, quærent tamen peregrino alicui, ubi ad Ecclesiam Catholicam conveniatur, nullus Hæreticorum basilicam suam, vel domum audeat ostendere.

37. Porro multipliciter vera Ecclesia dicitur Catholica: Primò ratione locorum, cum sit per totum orbem diffusa, neque unius regni aut provincie terminis, adinstar hæreticorum cœtum, definita; nam καθολικὴ græcè appellatur, quod per totum orbem diffunditur, ut ait Augustinus Epist. 170. ad Severinum. Unde idem S. Doctor in libro de unitate Ecclesie contra Donatistas, contendentes hanc ubique locorum diffusionem veræ Ecclesie non convenire, sic loquitur: *Singule hereses in multis gentibus, ubi Catholica Ecclesia est, non inveniuntur: hac autem que ubique est, etiam ubi illa non sunt inveniuntur*. Item lib. 4. de Symbolo cap. 10. dicit: *Ecclesia totum mundum possidet, & quacunque congregatio cujuslibet heresis in angulis sedet*. Et alibi comparat congregationes hæreticorum farmentis præcis, quæ ubi cadunt cum præscinduntur, ibi manent; cum cætus ille, qui est vera Ecclesia, tanquam vitis vivat, & ubique palmites suos extendat. Secundo vera Ecclesia, Catholica dicitur, ratione temporum: vera enim Ecclesia semper fuit, & semper erit; aliæ verò sectæ post eam inciperunt, idèque quotidie mutantur, sensimque intereunt. Tertiò ratione personarum: omnes enim indifferenter vocat & complectitur, si salutem consequi velint, & obedire Evangelio: Barbaros & Græcos, Judæos & Gentiles, nobiles & ignobiles, reges & subditos. Tandem dicitur Catholica & universalis ex parte doctrinæ fidei, quæ universaliter est vera, & continet omnia ad cognitionem & bonos mores necessaria, omnem docet virtutem, & omne prohibet peccatum. De quo videri potest Cardinalis Turrecremata lib. 1. Summæ cap. 13.

§. IV.

Quarta nota vera Ecclesia, quod sit Apostolica.

38. **E**X triplici capite vera Ecclesia dicitur Apostolica: Primò quia à Christo, qui ad Hebr. 5. appellatur *Pontifex & Apostolus confessionis nostre*, fundata & instituta est. Secundo quia superædificata est super fundamentum Apostolorum, ut dicitur ad Ephes. 2. Unde Cyrillus Alexandrinus exponens verba illa Prophetæ, *fundamenta ejus in montibus sanctis*, dicit montes illos san-

Tom. IV.

Actos esse Apostolos, in quibus jacta sunt Evangelicæ veritatis fundamenta: montes revera sacros, in quibus lucidissimum veritatis candelabrum non potest abscondi: revera montes, ob doctrinæ eorum altitudinem, excellentiam, & firmitatem; verè montes, qui primos orientis Evangelicæ facis radios excipere meruerunt, à quibus totus mundus illuminatus est. Hi etiam sunt purissimi & plenissimi Christianæ doctrinæ fontes, de quibus Regius Vates spiritu prophetico dicebat: *Benedicite Domino de fontibus Israël*. Ubi Ambrosius: *Dicendi sunt Apostoli fontes, quia veluti fontes purissimi, gratia predicationis exuberant*. Cui concinit Cyprianus Epist. 74. *Si canalis aquam ducens (inquit) qui copiose prius & largiter profluebat, subito deficiat, nonne ad fontem pergatur, ut illic defectionis ratio noscatur? Ita si in aliquo mutaveris veritas, ad originem Evangelicam, & traditionem Apostolicam revertamur*. Quem Cypriani locum cum legisset Augustinus, sic ei subscribit lib. 5. de Baptismo cap. 26. *Quod nos admonet Cyprianus, ut ad fontem recurramus, id est ad Apostolorum traditionem, & inde canalem in nostra tempora dirigamus, optimum est, & sine dubitatione faciendum*. Hi sonore Evangelicæ veritatis tubæ, hi celeberrimi Divinitatis præcones, quorum sonus exiit in omnes terre partes, quorum predicatio ubique Deum intonat.

C Tertiò vera Ecclesia denominatur Apostolica, quia in ea legitima Episcoporum (qui sunt viri Apostolici) successio ad hæc nostra tempora inviolabiliter deducta, viget & conservatur: facile enim est à Clemente I. X. qui nunc feliciter Ecclesiam regit, usque ad Linum, Clementem, Petrum, tandemque ad Christum, gradum facere. Quam Episcoporum successionem tanti fecit Augustinus cap. 4. Epistolæ contra fundamentum, ut dixerit se in Ecclesia per eam potissimum retineri; & merito, sic enim olim expressè istud à Davide pronuntiatum fuerat: *Stantes erant pedes nostri in atris tuis Jerusalem*: Illic enim ascenderunt Tribus Tribus Domini, testimonium Israël ad confitendum nomini Domini; & à Salomone Cantic. 1. cum Sponsæ, ubi Sponsus degeret percontanti, respondet: *Si ignoras te dicit pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi post vestigia gregum, & pascere hædos tuos juxta tabernacula pastorum*, eorum nempe, per quorum seriem & successionem, nusquam interruptam, ad lectulum Christi Sponsi, id est ad passionem & mortem ejus, possumus devenire. Unde ex hac perpetua Episcoporum successione argumentantur sæpius SS. Patres contra Hæreticos, præsertim Tertullianus libro de præscript. cap. 32. *Edans ergo (inquit) origines Ecclesiarum suarum, evolvant ordinem Episcoporum suorum: ita persuccessiones ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverint, habuerit authorem & antecessorem? Hoc enim modo Ecclesia Apostolica census suos deferunt: sicut Smyrænorum Ecclesia habens Polycarpum, à Joanne collocatum refert; sicut Romanorum (Ecclesia) Clementem à Petro ordinatum edit*.

E Ex his facile possunt demonstrari alia duo, quæ initio hujus articuli proposuimus, nimirum quatuor veræ Ecclesie notas, jam explicatas, Romanæ quidem Ecclesie, non verò Lutheranorum & Calvinistarum sectæ convenire. Primum patet ex dictis: Ecclesia enim Romana est una om-

LI